

EPISTULA LEONINA XXXVI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM SEXTAM !

ARGUMENTA

SENTENTIOLA PROTAGORAE – INVESTIGATIO CELLULARUM
PRIMORDIALIUM - MYTHI GRAECORUM (XXII): - VOCABULA
DOMESTICA (V).

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam tricesimam sextam.

Haec Epistula incohatur verbis illustribus, quae Protagoras sophistes a Platone dicitur fecisse: Hominem esse mensuram omnium rerum. Docti autem inter se adhuc dissentiunt, quid Protagoras his verbis senserit. Multi quidem, cum sentiant Protagoram docuisse relativismum (ut aiunt) scepticum, quo et veritas absoluta et bona moralia absoluta exstare negarentur, hanc doctrinam acerrimê repudiant.

Si quorundam scientistarum nostrae aetatis investigationes perlustraveris, nescio an iidem tibi videantur reverâ omnes res, etiam ipsum hominem, nullâ aliâ mensurâ considerare nisi humanâ nullaque comprobare bona moralia absoluta. Lege paginis sequentibus de clonibus et cellulis primordialibus adhibendis. Nuper nuntiatum est quendam biologum Americanum (cui nomen est Craig Venter) primum organismum artificialem fabricavisse. Licetne homini personam gerere creatoris? Omnes res suâ solâ mensurâ formare? Vides sententiolam Protagorae adhuc dignissimam esse, quae tractetur et ad obrussam exigatur.

Exeunte autem Epistulâ novissimas partes invenies Mythorum Graecorum (XXII) et Vocabulorum domesticorum (V).

Cara Lectrix, care Lector, congaude mecum de hac Epistulâ Leoninâ et pancraticê vale et perge nobis favere!


Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

d.Lunae, 31.º m.Maii, a.2010



**OMNIUM RERUM
MENSURA
HOMO EST.**

PROTAGORAS

(490-411 a.Chr.n.)

cfr **Plato, Theaetetus, 152a**. Σωκράτης. κινδυνεύεις μέντοι λόγον οὐ φαῦλον εἰρηκέναι περὶ [152α] ἐπιστήμης, ἀλλ' ὄν ἔλεγε καὶ Πρωταγόρας. τρόπον δέ τινα ἄλλον εἶρηκε τὰ αὐτὰ ταῦτα. φησὶ γάρ που “πάντων χρημάτων μέτρον” ἄνθρωπον εἶναι, “τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν.” ἀνέγνωκας γάρ που;


INVESTIGATIO CELLULARUM PRIMORDIALIUM

En cellulas, quibus somnia ad veritatem adducantur

Scipsit Jens Lubbadeh, in Latinum convertit Nicolaus Groß

Primo simiae embryonales cellulae primordiales ad amussim confectae, nunc cellulae cutis reprogrammatae hominis – brevi spatio intermisso duobus scientistarum gregibus contigit, ut facerent progressûs decisivos. De cellulis primordialibus investigandis medici summam spem concepêrunt – num sperant iustê?

Estne tibi iecur defectum? Novum cura fabricandum! Laborasne morbo Parkinsoniano? Nos tibi pro cellulis cerebri tui emortuis aedificabimus novas. Egesne, cum diabêtâ labôres, cottidie siphunculis insulini? Hoc obliviscere! Nos tibi fabricabimus novum pancreas!



Embryo humanus: Methodo reprogrammandi fieri poterit, ut pariantur cellulae primordiales etiam sine embryonibus.

Organa defecta denuo fabricare et supponere – hoc est medicorum somnium maximum. Qui sperant hoc fieri posse cellulis primordialibus ad amussim confectis. Quae cellulae sunt totipotentes, nam iisdem inest potestas, qua tamquam in embryone sitae fiant cellulae cuiuslibet telae corporalis.

Duobus impedimentis magnis adhuc impeditur, ne tales cellulae adhibeantur ad usum medicinalem: Primo invenienda est via, qua embryonales cellulae primordiales efficaciter et ad amussim conficiantur, ut quadrent ad corpus hominis patientis. Secundo medici egent scientiâ et arte, quibus easdem cellulas mutant in cellulas corporales omnis generis.



Shinya Yamanaka: Qui vîrîs (vîrus, -i n.) adhibitis in cellulas inseruit quattuor gena.



***Jacobus (James) Thomson* investigator cellularum primordialium:
Secundum theoriam fieri posse, ut omnis aegrotus instruaturs subsidiariis
cellulis corpori propriis.**

Nunc investigatoribus contigit, ut adipiscerentur duas cognoscentias decisivas. Iidem autem profecti erant a duobus inceptis inter se diversis: a clonizatione therapeuticâ et a cellulis corporalibus reprogrammandis.

Shoukrat Mitalipov, scientista Centri animalibus primatibus investigandis Nationalis in Oregone Civitate Americae foederali siti, eiusdemque collegae nondum id assecuti sunt, ut clonizationem therapeuticam adhiberent ad ipsum hominem, sed adhibuerunt ad simiam. Tamen hic est progressus decisivus, nam eodem apparet artem clonizationis therapeuticae fieri posse in cellulis animalium primatum. Primates autem sunt grex animalium, quorum est praeter simias etiam homo. *Georgius (Jürgen) Hescheler*, investigator cellularum primordialium, qui docet in Universitate Coloniensi, affirmat verisimile esse etiam cellulas humanas clonizari posse ratione therapeuticâ.

LEMMA: CLONIZATIO

Clonizatio therapeutica

Clonizatione therapeutica embryo fabricatur, ut postea pariantur cellulae primordiales. Medici id sibi proponunt, ut excolatur nova tela cellularis, cui insit heredium patientis, quod non reiciatur systemate immunitatis. Duce *Hwang Woo Suk* Austrocoreani investigatores primi materiam herediarum directe ex homine patiente exemptam iniecerant oövocytis enucleatis. Ex oövocytis autem compluribus divisis post nonnullos dies exemptae sunt cellulae primordiales, quae continebant heredium hominis patientis ipsius individuale. Investigatores autem volunt tales cellulas primordiales postea ita programmare, ut fiant telae cellulares, quales sunt cordiales aut nervales.

Clonizatio reproductiva

Clonizatio reproductiva est fabricatio embryonum geneticè inter se aequalium eo fine, ut proles propagetur. Haec clonizatio eo fit, quod oövocyto enucleato implantatur cellula corporalis aut bestiae aut hominis. Si embryo paucis diebus post factus est blastocystis, implantatur utero. At hominum clonizatio reproductiva reprobatur ab investigatoribus gravioribus ferè omnibus, quod sit immoralis, necnon a multis putatur fieri non posse propter problemata technica.

Conditio iuridica

In Germaniâ vetitum est clonizare embryones humanos et ex iisdem parere cellulas primordiales. Sed per exceptionem lege conceditur, ut cellulae primordiales importentur, quae ante diem 1.m.Ian. a.2002 fecundatione artificiali partae et culturis laboratorii reconditae erant. Interim novem gregibus investigatorum Germanorum licet iisdem operari. In Magnâ Britanniâ et in Coreâ Australi clonizatio therapeutica est expressis verbis licita, item in USÂ, sed ibi clonizatio embryonum non fovetur opibus publicis.

Clonizatio therapeutica sic fit: Sumitur nucleus cuiuslibet cellulae corporalis, implantatur oövocyto enucleato, e cellulâ fit embryo, ex eodem pariuntur embryonales cellulae primordiales. Omnis cellula corporis in nucleo suo habet heredium (sive genoma) completum, sed magnae partes huius heredii non operantur – ad quem finem cellula cutis gena expediat cellulae hepaticae? In oövocyto autem heredium cellulae corporalis tamquam computatrum denuo expeditur. Ita ex cellulâ corporis speciali fit cellula primordialis, quae denuo haurire possit e fundo genetico pleno. Quae cellula est pluripotens vel totipotens, i.e. potest fieri cellula omnis generis.

Utrum adhibenda sit clonizatio therapeutica an cellularum reprogrammatio

Commodum clonizationis therapeuticae est hoc: Habes embryonales cellulas primordiales, quae fieri possunt omne genus telae corporalis –

conditorium subsidiarium in tubo probatorio factum. Incommodum autem est: Haec methodus est intricata et parum efficax.

Mitalipov clonurgus Americanus simiam clonizavit portione successûs 0,7% (zero-virgula-septem) partium centesimalium. Si methodus Mitalipoviana adhiberetur ad hominem, pro omni homine curando necessarii essent 150 (centum quinquaginta) ôvocÿti – quod neque congruit cum facultate medicinali neque cum normis ethicis. Praeterea incommodum grave huius methodi in eo est, quod cellulis primordialibus pariendis embryo destruitur. Propter hoc dilemma in multis terris interdictum est, ne fabricentur embryonales cellulae primordiales.

CELLULAS PRIMORDIALES ESSE TOTIPOTENTES

Embryonales cellulae primordiales



Quae cellulae dicuntur mutari posse in cellulas omnis generis: Si qui ôvocÿtus fecundatus maturescit, fit blastocystis, quae est glaebola cellularis. In mediâ autem blastocyste oritur massula cellularum primordialium – earum cellularum ipsarum, quae a medicis affirmantur fore salutare. Nam eadem cellulae nondum differentiatæ fieri possunt cellulae omnis generis corporis humani. In experimentis bestiarum cellulae primordiales ad libitum mutatae sunt in cellulas nervorum et sanguinis et iecoris et musculi cordis, si quidem antea tractatae erant aptis *cumentricibus, i.e. substantiis crescentiam efficientibus.

Adultae cellulae primordiales

Non solum embryones sunt fontes cellularum, e quibus varia genera telae humanae possunt oriri. In 20 (viginti) ferê organis inclusis musculis, ossibus, cute, placentâ, systemate nervoso investigatores investigaverunt adultas cellulas primordiales. Quae sunt quidem proprietatibus minus attractivis quam embryonales cellulae primordiales, sed iisdem fabricandis nulla oriuntur problemata ethica. E corpore hominis adulti cellulae primordiales eximuntur, coluntur, additis aptis cumentricibus ita transprogrammantur, ut maturescant in genera telarum optata.

Ethicê et ius

Cellulis primordialibus investigandis politici et bioethici et investigatores in magnum discrimen adducuntur. Embryonales cellulae primordiales pariuntur ex embryonibus, qui ôvulis artificialiter fecundatis relictis sunt. Qui hanc methodum comprobant, argumentantur sic quoque futurum fuisse, ut tales embryones destruerentur; qui reprobant, hîc modo animal humanum innatum necari.

In Germaniâ vetitum est, ne embryones humani quoquo modo clonizentur indeque cellulae primordiales pariantur. Sed quibusdam in casibus specialibus lex concedit, ut cellulae primordiales importentur, quae ante diem primum mensis Ianuarii anni 2002 (bis millesimi secundi) fecundatione artificiali sunt partae et in culturis laboratorii sunt reconditae. In Magnâ Britanniâ et Coreâ australi clonizatio therapeutica expressis verbis est licita, item in Civitatibus Unitis, ubi non licet clonizationem embryonum fovere opibus publicis.

Cum parere quidem cellulas primordiales multis in terris vetitum est, sed easdem scientificê tractare permissum, exortum est verum commercium cellulas primordiales mittendi. Ut exemplum afferam: Tales cellulae *Singapuro* in urbe partae mittuntur ad scientistas ubique terrarum investigantes.

REPROGRAMMATIO

Alter autem magnus progressus cellulas primordiales investigandi simul factus est a duobus gregibus scientistarum: eorum unus ducitur a *Shinya Yamanaka* professore Universitatis Kyotoensis, alter a *Iacobo (James) Thomson* professore Universitatis Wisconsin-Madisonianae in Wisconsinâ Americanâ Civitate foederali sitae. Qui investigatores nihil fecerunt nisi cellulas corporales – e.g. dermaticas – in cellulas primordiales directê reprogrammaverunt – ôvocÿto et embryone omissis. Hoc illis contigit eo, quod cellulis dermaticis inseruerunt quattuor gena gubernatoria, qualia iam diu quaesita erant a multis scientistis.

Quae methodus est elegantissima, praesertim cum eadem neque ulli embryones sint fabricandi neque absumendi – ita ut nulla oriantur problemata ethica. *Hescheler*: "Hic est" inquit „magnus progressus in embryonalibus cellulis primordialibus investigandis“. At reprogrammationi insunt etiam incommoda: Non est certum, num cellulae primordiales fabricatae reverâ sint tam totipotentis quam embryonales cellulae primordiales.

Utramque methodum esse parum efficacem

Miodrag Stojkovich, Germanus, qui cellulas primordiales investigat Valentiâ in urbe Hispanicâ in Centro Investigationis Principis Philippi, putat methodum reprogrammandi adhuc esse ab adhibitione remotam. *Miodragus*: „Methodus“ inquit „gena per vîra transferendi est nimis periculosum“. Heredium enim vîrale integrari posse in heredium cellularum humanarum, ut mutationes vel morbus cancer efficiantur. Praeterea *Yamanakam* laponem reprogrammantem usum esse geno cancerario – eidem quoque periculum cancri inesse nimis magnum.

Neque clonizationis therapeuticae neque reprogrammationis efficientia sufficit: Ex 50.000 (quingenta milibus) cellularum decem tantum potuerunt reprogrammari in cellulas primordiales. Tamen *Miodragus Stojkovich* putat methodum reprogrammandi celerius adhibitum iri quam clonizationem therapeutica.

Omnes somniant de therapiâ cellularum primordialium futurâ – at quam verisimile est talia optata expletum iri?

Adultae cellulae primordiales, id est cellulae, quorum potestas differentiandi est limitata, hodie iam adhibentur in leucaemiâ et infarctu myocardii curandis – cum successu bono. Et quid de embryonalibus? Miodragus: "Quidam grex" inquit „US-Americanus annuntiavit homines, quorum medulla dorsalis esset afflicta, a se proximo anno futuro curatum iri embryonalibus cellulis primordialibus“.

"Adhuc facienda est quam plurima investigatio fundamentalis"

Sed Miodragus nondum scit, quando futurum sit, ut embryonales cellulae primordiales soleant adhiberi. Idem putat tales cellulas primo adhibitum iri ad curandos homines paraplegiâ et morbo Parkinsoniano et infarctu myocardii laborantes. Miodragus: "Medici" inquit „interim bene sciunt, quomodo embryonales cellulas primordiales differentient in cellulas nervales et cordiales idque fecerunt bono cum successu“.

IN GERMANIÂ LITIGARI DE EMBRYONALIBUS CELLULIS PRIMORDIALIBUS

Cellulae totipotentes: Embryonales cellulae primordiales

Opinata medicamenta salutaria necnon incitamenta discussionum: Haec sunt cellulae primordiales. Eaedem pariuntur e glaebulâ embryonis, qui est aetate duarum ferê septimanarum et possunt fieri omne genus cellularum. Itaque iisdem dicuntur sanari posse morbos Parkinsonianum, diabeticum etc. At earum pluripotencia, id est mutabilitas universa, non solum est commodum, sed etiam incommodum: nam talium cellularum ontogenesis non semper tam bene gubernari potest quam investigatores exoptant. Ne dicamus de problematis embryonum reicolorum moralibus.

Methodus alternativa: Adultae cellulae primordiales

Alia ac embryonalium est condicio adultarum cellularum primordialium, quae iam maturae eximuntur e musculis et medullâ ossium aliisque telis: Quae transprogrammari possunt in alia genera cellularum, quamquam tantummodo in certa quaedam, quia non iam sunt tantae potentiae biologicae. Ut exempla afferamus: Cellulae primordiales haematogenâe e medullâ ossium exemptae inseruntur aegrotis vasibus cordis coronariis, cellulae primordiales e capillorum radicibus fiunt cellulae dermaticae, ut prosint ustulationibus sanandis.

Embryones in Germaniâ esse tutandos

Lêge embryones tutandi (*EschG*), quae a.1991 facta est valida, vetitum est, ne embryo in hyalo reagentiali generatus excolatur ad ullam rem nisi ad gestationem. Lêge cellularum primordialium (*StZG*), quae m.lun. a.2002 lata est, non licet humanas cellulas primordiales embryonales importare nisi certis condicionibus praescriptis. Talia praescripta sunt: Ne importentur lineae cellularum primordialium, quae partae sunt ante diem 1.um m.lan. a.2002, ne sumantur cellulae nisi ex embryonibus „supervacaneis“, qui relictis sunt post fecundationem in tubo probatorio factam, ne quid pecuniae solvatur pro cellulis tradendis.

Problema diei dictae

Normâ diei dictae Germani cellularum primordialium investigatores impediuntur, ne cum collegis cooperentur aliarum terrarum, ubi licet operari cellulis iunioribus aut embryonibus fecundationum artificialium supervacaneis. Ex annis Germani timent, ne sequi non possint collegas in Civitatibus Unitis investigantes, qui hac in disciplinâ scientificâ dominantur. Cellulae enim linearum vetustarum, quae unicae sunt in Germaniâ permissae, quia in prioribus experimentis contaminatae sunt moleculis cellularum murinarum, homini implantatae si sunt, possunt affligi systemate immunitatis – e contrario lineae cellularum primordialium iuniores sunt purae. Procedente cultivatione diuturnâ nonnullae embryonalium cellularum primordialium lineae geneticê mutatae sunt – itaque nescimus, an eadem, si adhibentur in therapiâ, malignê degeneratae efficiant morbum.

Georgio Hescheler autem est persuasissimum aliquando morbos endemicos, quales sint diabetes et infarctus myocardi et apoplexia cerebri, sanari posse cellulis primordialibus. Georgius: "At haec res" inquit „est multo intricatior quam therapia, quae fit medicamentis. Necnon parum pecuniae erogatur ad cellulas primordiales investigandas. Itaque non licet exspectare has res celeriter processuras esse."

Iohannes (Hans) Schöler, scientista Monasteriensis Instituti Maximiliani Planck biomedicinae molecularis, putat potissimum inventum iri therapiam cellularem, qua sanentur homines morbo Parkinsoniano laborantes – hoc certe prius inventum iri quam integrorum organorum fabricationem. Idem scientista opinatur morbos primo fortasse mitigari tantum posse. Necessariam quidem esse patientiam. Quam opinionem Georgius communicans: „Multa investigatio fundamentalis“ inquit „nobis restat facienda.“ Quia in Germaniâ investigatio cellularum primordialium legibus sit restricta, hac in terrâ usum illarum practicum factum iri post decem vel viginti demum annos. "At animo fingo in USA progressum huius investigationis factum iri decisivum post tres quinqueve annos – nam ibi permultum pecuniae erogatur ad id efficiendum“.

E primordiali cellulâ fiat corporalis

Alterum impedimentum, quod superandum est ad therapiam excolendam, est hoc: Cellulae primordiales sunt convertendae in corporales. E cellulâ primordiali fit certa quaedam cellula corporalis, cum in eâdem varia gena inter se ratione intricatâ coefficientia certo puncto temporis activantur. Substantiae crementatrices valent ad activitatem genorum et cellulam evolvendam dirigunt. En exemplum afferamus: Ut convertatur cellula primordialis in cellulam myocardii, necesse est cellulae addantur aptae crementatrices, apto puncto temporis, aptâ concentratione. Si qui cytologus invenit, quantis copiis quales crementatrices inter se coefficient, idem possidet praeceptum, quo certum genus cellularum fabricetur.

Ceterum tale praeceptum est tam pretiosum, ut iam nonnulli *megapharmacopolae pecuniam erogaverunt ad cellulas primordiales investigandas. *Miodragus Stojkovich* quidem opinatur illos postea lucrum accepturos esse praecipuum cellulis primordialibus. Tum iidem non iam diplomata petent inventionis medicamentorum, sed praeceptorum, quibus cremententur cellulae vel statim integra organa.

GLOSSARIUM

āctīvītās *genī – *gene activity; Genaktivität*

***āctīvō**, -āre – *to activate; aktivieren*

ad amussim cōnficere – *to tailor; maßschneidern*

apoplēxia cerebrālis – *apoplectic stroke; Schlaganfall*

***bioēthicē**, -ēs f. – *bioethics; Bioethik*

***bioēthicus**, -ī m. – *bioethician; Bioethiker*

***biomedicīna**, -ae f. – *biomedicine; Biomedizin*

***blastocystis**, -is f. – *blastocyst; Blastozyste*

cellula corporālis – *body cell; Körperzelle*

cellula dermatica – *skin cell; Hautzelle*

cellula hēpatica – *hepatic cell, liver cell; Leberzelle*

cellula myocardiaca – *myocardial cell; Herzmuskelzelle*

cellula nervālis – *nerve cell; Nervenzelle*

cellula pīmōrdiālis – *stem cell; Stammzelle; Hispanice cellula primordial;*

***clōn**, clōnis m. – *clone; Klon.* – Gr. κλών, G.sg. κλωνός, ὅ i.q. *ramus, sarmentum, surculus.*

***clōnizatiō**, -ōnis f. – *cloning; Klonierung*

***clōnizatiō *reprōductīva** – *reproductive cloning; reproduktives Klonen*

***clōnizatiō *therapeutica** – *therapeutic cloning; therapeutisches Klonen*

***clōnizō**, -āre – *to clone; klonen, klonieren*

***clōnūrgus**, -ī m. *cloning specialist; Klonierer*

***coefficientō**, -ere – *cooperate, combine; zusammenwirken, zusammenspielen.* cfr v. René Hoven, *Lexique de la Prose Latine de la Renaissance*, Leiden/New York/Köln (E.J.Brill) p.65, s.v. *coefficientes: coefficientes causae.*

conditōrium subsidiārium – *spare parts store; Ersatzteillager*

***crēmentātrīx** (sc. substantia, māteria) – *growth factor; Wachstumsfaktor*

crēmentō, -āre - *to make grow; wachsen machen.* – cfr Karl-Ernst Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Wörterbuch, Hannover 1976, col.1743, s.v.: FULG.myth.3,8; Eccl. wachsen machen.

***cultivātiō diuturna** – *long-time cultivation; Langzeitkultivierung*

***diabētēs**, -ae m. – *diabetes; Diabetes, Zuckerkrankheit.* - cfr Gerhard Ahrens, Medizinisches und naturwissenschaftliches Latein mit latinisiertem griechischem Wortschatz, 1.Auflage, Leipzig (VEB Verlag Enzyklopädie) 1988, p.38, §71.

***diabēticus**, -a, -um – *diabetic; diabetisch, zuckerkrank*

***differentior**, -ārī – *to differentiate; sich differenzieren*

diplōma inventiōnis – *patent; Patent.*

embryō, -ōnis m. – *embryo; Embryo*

ēnucleō, -āre – *enucleate; entkernen.* Cfr APIC.4,184; CIC.Scaur.20 e.al.

***genōma**, -atis n. – *genome; Genom, Erbgut*

***genum**, genī n. – *gene, hereditary factor; Gen, Erbfaktor*

***genum gubernātōrium** – *control gene; Steuerger*

gestātiō, -ōnis f. – *pregnancy, gravidity; Schwangerschaft*

***haematogenēus**, -a, -um – *hematogeneous; blutbildend*

herēdium, -īī n. – *hereditary endowment; Erbgut*

implantō, -āre – *to implantate; implantieren*

īnfarctus (-ūs m.) **myocardīi** – *cardiac infarct; Herzinfarkt*

īnsulīnum, -īī n. – *insuline; Insulin*

investīgātiō cellulārum primōrdiālium – *stem cell research*

investīgātor cellulārum primōrdiālium – *stem cell researcher*

līnea cellulārum primōrdiālium – *stem cell line; Stammzelllinie*

medulla dorsālis – *spinal cord, spinal marrow; Rückenmark*

medulla ossium – *bone marrow; Knochenmark*

***megapharmacopōlium**, -ii n. – *pharmacy combine; Pharmakonzern*

***mōlēcula**, -ae f. – *molecule; Molekül.* – v. Christian Helfer, Lexicon Auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch, ed. tertia. Saarbrücken 1991, p.378: Molekül
*mōlēcula, -ae f. [1658, P.GASSENDI, → VL 80,380].

***mōlēculāris**, -e – *molecular; molekular.* v. Christian Helfer, ibid.: molekular

*mōlēculāris, -e [Franz BRUENNOW: De attractione moleculari. Berlin 1842].

morbis Parkinsoniānus – *Parkinson's disease; Parkinson-Krankheit*

***ontogenesis**, -is f. - *ontogenesis, ontogenesis, development; Entwicklung, Ontogenese.*

***ōvocȳtus**, -īī m. – *oocyte, ovocyte; Eizelle.* - cfr Gerhard Ahrens, Medizinisches und naturwissenschaftliches Latein mit latinisiertem griechischem Wortschatz, 1.Auflage, Leipzig (VEB Verlag Enzyklopädie) 1988, p.251, §630: ovocȳtus, -i m. die reifende Eizelle; ~primarius/ secundarius. cfr id. §631 parathyrocȳtus, -i m. die Zelle der Nebenschilddrüse...pericȳtus, -i m. die umgebende Zelle der Kapillaren...phagocȳtus, -i m. der Phagozyt; ...pigmentocȳtus, -i m. die Pigmentzelle ...

pancreas, -atis n. – *pancreas; Pankreas, Bauchspeicheldrüse*

paraplēgia, -ae f. – *paraplegia; Querschnittslähmung*

paralysis agitāns - *Parkinson's disease; Parkinson-Krankheit*

perīculum cancrī – *cancer risk; Krebsrisiko*

***plūripotēns**, -ntis – *pluripotent; pluripotent*

***plūripotentia**, -ae f. – *pluripotency; Pluripotenz*

potentia ***differentiandī** – *differentiation potential; Differenzierungspotenz*

***reprogrammātiō**, -ōnis f. - *reprogramming; Reprogrammierung*

***reprogrammō**, -āre – *reprogram; reprogrammieren*

***siphunculus**, -īī m. – *syringe (with hypodermic needle); Spritze (medizinisch)*

***spermium**, -iī n. – *sperm; Spermium*
substantia *crēmentātrīx – *growth factor; Wachstumsfaktor.* crēmentāre
 FULG.myth.3,8, Eccl. wachsen machen.
systema immūnitātis – *immune system; Immunsystem*
systema nervōsum – *nervous system; Nervensystem*
tēla cellulāris – *cell tissue; Zellgewebe*
tēla coniūctīva – *connective tissue; Bindegewebe*
tēla corporālis – *body tissue; Körpergewebe*
therapīa cellulāris – *cell therapy; Zelltherapie*
***tōtipotēns**, -ntis – *totipotent; totipotent*
***tōtipotentia**, -ae f. – *totipotency; Totipotenz*
***trānsplantātiō**, -ōnis f. – *transplantation; Transplantation*
tubus probātōrius – *Angl. test tube; Theod. Reagenzglas; Fr. tube-à essai, éprouvette; Hisp. tubo de ensayo, probeta.* 2. probatorius, -a, -um v. René Hoven, Lexique de la Prose Latine de la Renaissance, Leiden/New York/Köln (E.J.Brill) p.284, s.v.
ustulātiō, -ōnis f. – *burn, scald; Brandwunde, Verbrennung.* cfr PLIN.VAL.3,22.
vāsa corōnāria – *coronary vessels; Herzkranzgefäße*
***vīrālis**, -e – *viral; viral*
vīrus, -ī n. (pl.: vīra, vīrōrum) – *virus; Virus.* cfr William T. Stearn, *Botanical Latin. History, Grammar, Syntax, Terminology and Vocabulary.* London 1967, p.545 (Vocabulary): *Virus: virus (s.n.II), gen.sg. viri, nom.pl. vira, gen.pl.virorum (to be distinguished from vīrorum, of men).*

Hanc relationem d.22.m.Nov., h.09.39, a.2007 in periodico interretiali „Spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit glossarioque instruxit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domūsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

MYTHI GRAECORUM (XXII): Argos quid suaserit.

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.

Argos quid suaserit.

Iasôn eiusque duo herôes e sedibus surrexerunt. Filiorum Phrixi nemo illos secutus est nisi Argus; nam is fratribus digito indicaverat, ut intra manêrent. Illi autem palatium reliquêrunt. Aesônis filius nitebat lepôre atque pulchritudine. Medêa virgo per velamen oculis illum quaerebat animoque vestigia illîus sequebatur, quasi somniaret. Cum in gynaecêum revertisset sôla ibi versans coepit flere; deinde se ipsam allocuta: »Quid dolore tabescam? Ille heros quid spectat ad me? Licet ille sit omnium semideorum magnificentissimus, licet sit pessimus, si oportet illum perire, pereat! Tamen – o utinam perniciem evâdat! Sine illum, Hecata dea honoratissima, domum redire! At si fata iubent illum tauris superatum iri, utinam saltem antea sciat me non gaudêre de sorte suâ tristi!«

Medêa sic sollicitante herôes ibant ad navem, et Argus Iasôni: »Licet« inquit »consilium meum vituperes; tamen de eodem te faciam certiolem. Nôvi virginem, quae sciat tractare potiones magicas, quales Hecata dea inferorum docet commiscere. Si nobis contigerit, ut hanc virginem sociam nobis faciamus, non dubito, quin ex hac pugna evasurus sis victoriosus. Si vis, illam adibo, ut nobis adiungam.« »Si sic tibi placet, mi care«, Iasôn respondit, »non resisto. At infortunati sumus, si domuitio nostra pendebit a mulieribus!« Talibus dictis advenêrunt navem sodalesque. Iasôn rettulit, quid a se postulatum sit et quid rêgi pollicitus esset. Aliquamdiu sodales taciti sedebant inter se conspectantes; tandem Peleus surrexit et dixit haec: »Heros Iasôn, si credis te promisso stare posse, indue arma. At si tibi deest plena confidentia, a pugna abstine nec cura ullum horum virorum; nam si ita est, quidnam eosdem manebit nisi mors?«

His verbis auditis Telamon prosiluit et quattuor herôes alii, quorum omnis erat animo pugnacissimo. At his sedatis Argus: »Equidem« inquit »nôvi virginem, quae scit uti potionibus magicis: quae est soror matris nostrae; nunc sinite me ire ad matrem eique persuadêre, ut animum virginis inclinât ad nos. Deinde demum deliberêmus de illo periculo, quod subire Iasôn paratus est.« Vix Argus finiverat, in aère omen factum est. Columba enim, quam accipiter rapidê persequabatur, aufûgit ad Iasônis gremium; at avis rapax se in columbam proreptura decîdit in stegam navis posterioris. Nunc unus ex heroibus recordatus est Phineum senem vaticinatum esse Venêrem deam illis affore, ut reverterentur. Itaque

omnes herôes Argo assensi sunt; nemo nisi Idas, filius Apharei, indignatus e sede suâ surrexit et: »Proh dii immortales, num nos huc advenimus servi mulierum, nosque pro Marte invocemus Venërem? Num accipitribus columbisve aspectis a pugnâ avertamur? Si ita est, licet obliviscamini bellum et abeatís ad virgines infirmas fraudandas.« Sic dixit indignatus; multi herôes submissê obmurmuraverunt. At lasôn assensus est Argo. Itaque navis ad ripam est alligata, herôes exspectabant nuntii reditum.

Aeêtes interim extra palatium Colchorum congregationem habuerat. Illis narravit peregrinos advenisse, quid cuperent, et qualem interitum illis praeparavisset. Ubi primum tauri ducem illorum interfecissent, totâ silvâ evulsâ se navem cum viris curaturum esse comburendam. Necnon nepotes, qui illos temerarios adduxissent, punire voluit more horribili.

Interim Argus matrem adibat rogans, ut a Medêâ sorore auxilium peteret verbis blandis. Chalciöpe ipsa peregrinorum miserita non ausa erat contradicere patri atrociter irato. Filii preces cum ei placerent, pollicita est se adiuturam esse.

Medêa ipsa in lecto inquietê dormiens vexabatur somnio anxioso. Virgini heros iam cum tauris pugnare visus est. Sed virgo somniavit lasõnem hanc pugnam non propter vellus aureum suscepisse, sed ut se ipsam uxorem duceret in patriam suam. Se ipsam pugnam cum tauris faciendam superare, sed parentes promisso suo non stare neque lasõni praemium pugnae dare velle, quia non virgo ipsa, sed lasôn iussus esset tauros adiungere. De hac re patrem cum peregrino vehementer rixari coepisse, et ab utroque se factam esse arbitram. Tum se elegerit peregrinum; parentes autem acri dolore affectos magnum clamorem sustulisse – at hõc clamore sublato Medêa experrecta est.

Somnio commota est, ut adiret cubiculum sororis, sed diu pudõre impedîta incerta in propatulo morabatur, ter id reliquit, et ter revertit; denique lacrimans in proprio cubiculo læcto se recubuit. Talis inventa est a iuveni ministrâ sibi familiari. Quae dominae miserita sorori Medêae nuntiavit, quid vidisset. Chalciöpe hunc nuntium accepit a filiis circumdatus, cum illis consulens, quomodo animum virginis ad se inclinarent. Deinde cum in cubiculum sororis properavisset, eandem invênit lacrimis perfusam genasque dilacerantem. »Quid factum est de te, misera soror?«, Chalciöpe inquit intimo ex animo miserita, »quo dolore vexatur anima tua? Num tibi e caelo missus est subitus morbus? Num pater de me meisque filiis aliquid crudele tibi dixit? O utinam remota essem a domo parentum, et ibi, ubi Colchõrum nomen non audîtur!«

**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS

NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA DOMESTICA (V)
ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum quintam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas quintam partem domesticam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA V = VII. DOMESTICA V**).

Nicolaus Groß
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

p.255 Treppe	stairs	escalier	escalera	scale	scālae, -ārum f.pl.
Geländer	banister	rampe	barandilla	parapetto	epimēdion, -ī n.

Kopfteil	cap	couronnement	remate	cappello	capitulum, -ī n.
Krümmling	goose-neck	col-de-cygne	cuello-de-cisne	collo d'oca	collum cynēum
Handlauf	handrail	main courante	pasamanos	corrimano	rēgula manuālis
Podest	landing	palier	rellano	pianerottolo	podium scālārum
Wandwange	inner string	limon à la française	zanca de contén	fianco esterno	scāpus parietālis [VITR.9,praef.8 Si enim altitudo contignationis ab summa coaxatione ad imum libramentum divisa fuerit in partes tres, erit earum quinque in scalis scaporum iusta longitudine inclinatio. Cfr ed. Fensterbusch (WB Darmstadt 1976) p.407: "Teilt man nämlich die Höhe eines Stockwerks von der Balkenlage oben bis zur Horizontalebene des Fußbodens unten in 3 Teile, so werden mit 5 solcher Teile die geneigten Treppengewänge die richtige Länge haben."]
Treppenlauf	flight of stairs	volée	tramo	rampa di scale	suggestus scālārum
Antrittsstufe	bottom stair	marche de départ	peldaño de arranque	scalino d'invito	gradus +adituālis
Nut	step groove	emmarchement	rebajo de escalón	lunghezza del gradino	sulcus +adituālis
Antrittspfosten	newel post	pilastre	poste	pilastro del parapetto	postis +adituālis
Geländerstab	baluster	barreau	balaustre	balaustro	balaustium, -ī n. [COLUM.poet.10,297; PLIN.nat.13,113; SCRIB.85;112; antiquitus est nomen Graecum floris granati (bot. Punica granatum); in Italico sermone partes epimedii sic appellantur, quia originaliter formā similes fuerunt flori granati; Hispani et Angli hoc verbum ex Italico sumpserunt.]
Sockelleiste	skirting board	plinthe	zócalo	zoccolo	plinthus, -ī m.
Stufe	run	giron	huella	larghezza del gradino	gradus, -ūs m.
Freiwange, innere Wange, Lichtwange	outer string	limon à crémaillère	zanca	fianco interno	scāpus liber
Treppenstufe	step	marche	peldaño	gradino	gradus scālārum

Überstand	nosing	nez-de-marche	vuelo del peldaño	sporgenza	prōiectūra gradūs
Steigung	rise	hauteur de marche	altura del peldaño	alzata	altitūdō gradūs
Trittstufe	tread	marche	peldaño	pedata	pars (gradūs) calcābilis
Setzstufe	riser	contremarche	contrahuella	frontale	pars (gradūs) frontālis
p.256 HEIZUNG	HEATING	CHAUFFAGE	CALEFACCIÓN	RISCALDAMENTO	calectiō, -ōnis f.
Holzbeheizung	wood firing	chauffage au bois	calefacción de leña	riscaldamento a legna	calectiō lignāria
Kamin	fire place	cheminée à foyer ouvert	chimenea	camino	camīnus, -ī m.
Rauchmantel	hood	hotte	campana	cappa	*fūmicipulum, -ī n.
Kaminsims	mantlepiece	tablette	repisa	mensola	prōiectūra +camīnāria [cfr GRIMM <i>SIMS</i> , <i>m. vorstehender rand ...die abstammung ist zweifelhaft, KLUGE (etym. wb.⁶ 365^a) stellt es zu lat. sima, rinnleiste, glied des säulenkranzes, andre haben es mit franz. cymaise (κηματιον) in verbindung gebracht. simse, der, projectura MAALER 374^a; sims, n. gesims, vortächlein. SCHOTTEL 1416; sims, der, plur. simse, projectura.]</i>
Kamineinfassung	mantle	manteau	manto	caminiera	crepīdō +camīnāria
Sturz	lintel	linteau	dintel	architrave	+architrabium, -ī n.
Rahmen	frame	encadrement	armazón	intelaiatura	margō, -inis f.
Sockel	base	socle	base del hogar	base	basis, -is f.

Brennholzstauraum	wood storage space	bûcher	leñera	cassone per legna da ardere	receptāculum cremiōrum
Feuerstätte	fireplace	âtre	hogar	focolare	focus, -ī m.
Schamotteplatte	firebrick back	cœur	ladrillos refractarios	fondo refrattario	fundus apyrus [2.apyros,-on (gr. ἄπυρος) PLIN.nat. 21,66: de metallis, quae sine igne pariuntur: e.g. aurum; sed cfr John's Handwörterbuch der allgemeinen Chemie, Leipzig u. Altenburg 1818, Bd.2, p.28: feuerfest (lat. apyrus , frz. apyre)]
seitliche Einfassung	jamb	jambage	jamba	stipite	crepīdō laterālis
Kragstein	corbel piece	corbeau	ménsula	mensolone	ancōn, ancōnis m. [VITR.4,6,4] parōtis, -idis f. [VITR.4,6,4]
Dauerbrandofen	slow-burning stove	poêle a combustion lente	estufa de leña a fuego lento	stufa a combustione lenta	fornāx combustiōnis lentiōris
Kaminanschluss	chimney connection	conduit de raccordement	conexión de la chimenea	attacco del tubo di scarico	cōnexiō +camīnāria
Rauchklappe	smoke baffle	défecteur de fumée	salida de humo	deflettore del fumo	*dēflectrum fūmārium
Fülltür	loading door	porte-foyer	puerta del fogón	sportello di carico	foris *plētōria
Schamottestein	firebrick	brique réfractaire	ladrillo refractario	mattono refrattario	lapis apyrus
Griff	handle	poignée	manilla	manopola	manubrium, -ī n.
Brennraum	combustion space	chambre de combustion	fogón	focolare	focus, -ī m.
Luftzufuhrregler	air inlet control	manette d'admission d'air	control de la entrada de aire	comando del tiraggio	+rēgulāmentum āēris admittendī
Blechverkleidung	box	caisson	caja para ceniza	involucro	involucrum, -ī n.
Heißluftaustritt	hot-air outlet	sortie d'air chaud	salida de aira caliente	uscita dell'aria calda	exitus āēris calidī
Warmluftklappe	warm-air baffle	défecteur d'air chaud	tiro de aire caliente	deflettore dell' aria calda	*dēflectrum āēris calidī
p.257 Kamin	chimney	cheminée	chimenea	camino	camīnus, -ī m.
Kaminabdeckung	rain cap	mitre	caperuza	mitra	mitra +camīnāria
Dach	roof	toit	tejado	tetto	tēctum, -ī n.

Kaminabdichtung	storm collar	collet	collarín	collare	collāre +camīnārium
Kamineinfassung	flashing	solin	vierteguas	scossalina	balteus +camīnārius
Decke	ceiling	plafond	techo	solaio	lacūnar, -āris n.; laquear, -āris n.
Decken- durchführung	ceiling collar	collier coupe-feu	collar cortafuego	collare del solaio	collāre laqueārium
Fußboden	floor	plancher	piso	pavimento	pavimentum, -ī n.
Revisionsöffnung	capped tee	té de base	remate en T	raccordo a T	apertūra revīsionis
Kaminbesteck	fire irons	accessoires de foyer	utensilios para la chimenea	ferri per il camino	ūtēnsilia +camīnāria
Feuerzange	tongs	pince	tenazas	molle	*prūniceps, -cipis f. [cfr Adam Friedrich KIRSCH (+1716): Abundans Cornucopiae linguae Latinae et Germanicae selectum, Nürnberg 1714,1,199]
Schürhaken	poker	tisonnier	atizador	attizzatoio	rutābulum, -ī n. [OLD 1672 s.v. ... A long implement with a flattened end: a (for shifting coal in an oven). aCATO Agr.10,3; NOV.com.80; rutabulum est, quo rustici (sc. utuntur) in proruendo igne, panis coquendi gratia FEST. p.262M.; SUET.Aug.75; ...]
Kohlenschaufel	shovel	pelle	pala	paletta	vatillum, -ī n. [OLD 2016, s.v. uatillum: ... A small shovel or pan: ...b (for holding hot coals or sim.; heated to incandescence and used in testing the purity of metals)... b)insani ridentes praemia scribae, praetextam et latum clauum prunaeque uatillum HOR.sat. 1,5,36.; uatillis ferreis candentibus ramento (sc. of silver) inposito, quod candidum permaneat, probat. PLIN.nat.33,127;

					34,112.]
Besen	broom	balai	escobilla	scopa	scopae, -ārum f.pl.
Feuerbock	andirons	chenets	morillos	alari	fulcrum focārium [GRIMMSCHES WÖRTERBUCH s.v.: <i>FEUERBOCK</i> , <i>m.</i> <i>fulcrum focarium</i> : einen alten feuerbock, desgleichen einen kammertopf, die dreispännig da waren, nemlich als drillinge, diese berührte er gar nicht. J. P. <i>Siebenk.</i> 2, 52. <i>vgl.</i> feuerhengst, feuerhund.]
Holzträger	log carrier	porte-bûches	portaleños	portaceppi	*xylophorum, -ī n. [cfr oenophorum] ; *lignicipulum, -ī n.
Kamingitter	fireplace screen	pare-feu	pantalla	parafuoco	cancelli focariū m.pl.

**Haec vocabula domestica
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA (VI)